



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Prædestinationem non esse in nostra potestate, verior sententia est. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

quia gratia Dei labori nostro, & arbitrio subiungatur, ut Massilienses dicebant, sed quia dum nos prevenit, & coniungitur nobis, condignas efficit nostras tribulationes, quæ ex nobis solum dignæ non essent. Hoc igitur modicum cooperationis nostræ est, quod Deus exigit, & quod non patitur referuare, hoc est quod non patitur, à nobis non exhiberi. Prædictum vero sensum Massiliensium non fuisse Bernardi, plane constat ex opusculo illo de gratia & libero arbitrio, ubi contra Massilienses expresse docuit, ut retulimus supra ca. 9. Hactenus de celeberrima huius materie controversia dictum sit.

DISPUTATIO XCII.

An prædestinatio gratiæ Dei sit in potestate prædestinati?

Quorundam recentiorum opinio, cap. 1.

Prædestinationem non esse in nostra potestate, verior sententia est, cap. 2.

Soluntur argumenta prioris sententia, cap. 3.

CAPUT I.

Quorundam recentiorum opinio.

EX ijs qui docent, nullam ex nobis dari causam prædestinationis nostræ, esse tamen conditionem aliquam, sine qua non esset prædestinatio, quorum sententiam commemoravi disput. præced. ca. 7. nonnulli recentiores affirmant, prædestinationem nostram in nostra esse potestate. Alij vero, qui dicunt esse in nobis conditionem, sine qua illa gratia, quæ nobis datur, non esset effectus prædestinationis, asserunt in nostra esse potestate, ut illa vocatio ad prædestinationem pertineat, non tamen, ut illa nobis conferatur, aut prædestinetur. Priores vero probant, prædestinationem in nostra esse potestate, ex illo 2. Petri 1. cap. Quapropter fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Hæc enim scientes non peccabitis aliquando. Ex quo loco sic arguunt: nisi per bona opera certa fieret nostra vocatio, non esse mus prædestinati; sed in nostra potestate est per bona opera certam facere vocationem: ergo in nostra potestate est, nos esse prædestinatos. Secundo, prima vocatio non est effectus prædestinationis, nisi quatenus habet effectum: sed quod habet effectum, est in nostra potestate: ac proinde tota prædestinatio. Tercio, si id, quod recipitur cum prædestinatione, est in nostra potestate, et ipsa prædestinatio: perseverantia autem in gratia Dei, quæ convertitur cum prædestinatione, est in nostra potestate: ergo & ipsa prædestinatio.

Eisdem rationibus posteriores Doctores probare possunt, in nostra esse potestate, vocationem aliquam non esse effectum communis providentia, sed ad prædestinationem pertinere: quia in nostra est potestate illam esse congruam vocationem & efficacem, quo pacto ad prædestinationem spectat. Si vero congrua, vel efficax non esset, ad communem providentiam tantum pertineret: est ergo in nostra potestate, vocationem illam esse effectum prædestinationis, licet in electione nostra non sit, ut illa nobis donetur.

Addunt postremo, potuisse Deum ad usum liberi arbitrii, quem futurum esse præsciuit, & alias circumstantias prædestinari respicere, idque decens fuisse, ut tali, vel tali modo constitueret hominem.

Vasquez in 2. part. Tomus 1.

mini opitulari: imo vero arbitrantur, hoc pacto conciliari posse Partes antiquos, qui de prædestinatione contraria videntur docuisse Græcos, nimirum Orig. Chrysost. & alios, cum August. & Latinis: ut cum asserunt Græci, nos prædestinari ex bono usu liberi arbitrii, & ex meritis illius, intelligant solum, ex nobis esse conditionem, & rationem, ob quam vocatio gratiæ ad prædestinationem pertineat, sicut explicatum est; cum vero Augustin. & alij negant, prædestinationem fuisse ex meritis, aut ex bono arbitrii usu præquisito, intelligant, nullum ex nobis fuisse initium, ut gratia nobis prædestinaretur, & donaretur, vocatio scilicet, quæ erat efficax futura; quæ duo in sententia horum Scholasticorum optime constant.

CAPUT II.

Prædestinationem non esse in nostra potestate, verior sententia est.

NO minus certum est, prædestinationem gratiæ, & ipsam primam gratiam (quod idem est) non esse in nostra potestate, quam prædestinationis, & ipsius gratiæ nullam causam, aut occasionem ex nobis præcedere. Quam doctrinam contra priores illos Doctores tantum adstruimus: nam de modo loquendi aliorum pauca deinceps dicemus. Hæc vero sententia probatur primum, quia eius, quod verè est in nostra potestate nos sumus causa, ut tradit August. 1. retractat. cap. 22. cum ait, hoc esse in nostra potestate, quod cum volumus, facimus; atque eius, quod facimus, quando volumus, nos sumus causa: ergo eius etiam, quod est in nostra potestate, nos sumus causa, ac proinde si prædestinatio, & eius effectus est in nostra potestate, sequitur nostræ prædestinationis, & totius effectus illius nos esse causam, quod est absurdum.

Deinde cum quaerimus, an detur causa prædestinationis, aut ea in nostra sit potestate, idem est, ac si quaeramus, an ex nobis sit aliqua causa totius effectus prædestinationis, vel totius, & in nostra potestate, ut disp. præced. ca. 1. notatum est. Cum igitur dicunt prædestinationem esse in nostra potestate, vel intelligunt totum effectum prædestinationis, vel complementum solum illius: si de solo complemento loquantur, hoc est, de perseverantia, & consensu nostro, quem gratiæ vocationis præbemus, non modo sumus condicio, aut causa sine qua non, quæ solum videtur causa non resistens, & per accidens, removens impedimenta, verum etiam sumus causa per se non totalis, sed partialis: quia cum ipso Deo, & gratia comitante consensum operamur. Si vero ex eo, quod complementum prædestinationis est in nostra potestate, dicere possumus eam etiam in nostra libertate esse, affirmare quoque poterimus, nos esse causam prædestinationis, vel concausam, quia etiam complementum prædestinationis vere sumus causa.

Verum, id non sufficere, ut aliquid horum dicamus, nullus est, qui neget. Omnes etiam fatentur nullam causam esse prædestinationis, nisi totius effectus sit causa, idemque de conditione, & ut dicatur esse in nostra potestate, asserendum est. Nam si ex nobis non datur causa, neque in nostra potestate situm est, ut in nobis incipiat effectus prædestinationis, nullo modo erit in nostra potestate, ut sumus prædestinati.

Ddd 3 Aut

Aut præcedens opinio contendit, esse in nostra potestate totum effectum prædestinationis à primo usque ad ultimum, & ita ipsam prædestinationem; & hoc est manifeste falsum. Etenim primus effectus non est ipse consensus, & gratia comitans, aut cooperans: sed prima vocatio, & gratia operans, quam sine nobis id est, sine nostro consensu in nobis Deus operatur, vt disp. 88. Explicauit hæc autem non est in nostra potestate.

Confirmatur
testimonio
Hieronymi
Ierem. 30.

Hæc ratione Hier. illud Ieremiæ 10. *Sic Domine, quod non est in manu hominis via eius*, explicat contra Pelagium de quouis iusto, in cuius manu non est gressus suos dirigere; non quia non possit gratia Dei excitatus recte ambulare, & ei ad hunc effectum consensum præbere: sed quia non est in potestate sua tali gratia vocari, qua gressus suos recta dirigat. Bene video nobis auctoritas Hiero. satis est.

Confirmatur
secundo ex
August.

Eodem pacto Aug. quia dixerat in libro contra Adimantum, in nostra esse potestate voluntatem in melius mutare; postea in libro primo retractat. cap. 2. illud sic interpretatur: Hoc non est contra gratiam Dei, quam prædicamus, in potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dicitur: Dedit ei potestatem filios Dei fieri. Eandem sententiam habet 2. retractat. c. 1. & lib. de bono perseu. c. 8. ubi clarissime docet, hanc potestatem nobis communicari ipsa sancta cogitatione, quæ est gratia operans, & præueniēs, ait igitur: Non itaque in hominum, sed in Dei potestate est, vt habeant homines potestatem filios Dei fieri. Reddit rationem: Ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes suas. Id quod ex Ambrosio confirmat in libro de fuga sæculi, c. 1. Cum ergo homines non habeant in sua potestate, fieri filios Dei, nisi gratia illos præueniat, & hæc nobis æterna prædestinatione præpararetur sine nobis, sicut etiam sine nobis in tempore nobis donatur; fit, vt ea ad effectum prædestinationis pertineat, sicut ex Patribus satis probatum est, disp. præc. c. 3. & nullus certe negare potest. An vero sit in potestate nostra reprobari, seu non prædestinari, dicemus disp. 95. cap. 8. Hactenus impugnatum manet, quod priores illi Doctores cap. 1. docuerunt.

Non est in
nostra potestate,
facere
vt donetur
vocatio, bene
tamen vt ef-
ficax sit.

Circa id vero, quod posteriores dixerunt, negare non possumus in primis ex nostro arbitrio pendere, vt vocatio aliqua sit in nobis congrua, & efficax, hoc est, vt effectum habeant in nobis, non tamen vt ea nobis donetur in tempore, aut in præscientia prædestinetur, quia quod si in nobis, sit sine nostro consensu, nobis vero esse congrua, & effectum in nobis habere potest sine nobis: congruitas enim, & efficacia vocationis in eo consistit, vt nostro arbitrio ita contempere- tur, & nostrum arbitrium ita ei congruat, vt consensum liberum à nobis eliciat. Cum ergo consensus non sit sine nobis, nec ipsa sine nobis congrua, aut efficax esse poterit; tamen si ea, quæ efficax est futura vocatio, nobis donetur, & prædestinetur sine nobis, nec de hac re amplius contendere necesse est.

Efficacia vo-
cationis non
est tantum
conditio, li-
berum arbit-
rium, sed
etiam causa.

7.

Addo tamen primo, non solum esse concedendum id, quod Doctores posteriores concedunt, nimirum esse conditionem, seu rationem ex parte nostri arbitrii, vt illa vocatio efficax sit, & pertineat ad prædestinationem, non ad communem prouidentiam: verum etiam esse vere causam ex parte liberi arbitrii, vt illa vocatio in nobis effi-

cax, & congrua sit: nam vt habeat effectum, non solum nos sitimus conditio sine qua non: hæc enim tantum est causa per accidens, vt remouens impedimenta, vel applicans causam principalem ad operandum; sed etiam sumus causa per se, quam vocant principalem, vt explicatum est. Quare in nostra potestate non sicut in conditione, sed sicut in causa positum est, vocationem aliquam esse congruam, & efficacem. Hinc tamen nulla ratio sequitur, nos esse causam prædestinationis nostre, quoad omnes effectus, sed quoad aliquos; id quod negari non potest, vt ex dictis manifestum est, & in solutione argumentorum clarius patebit.

Secundo non est dicendum, de consensu & consentaneum fuisse, vt Deus donaret gratiam primam, aut eam prædestinaret, respiciens ad vsum liberi arbitrii. Aut enim loquimur de vso liberi arbitrii procedenti ab ipsa gratia, & hic esse non potuit causa, conditio, aut ratio aliqua decetia: ob quam Deus gratiam donaret, vt c. 6. præced. disp. contra Alexandrum monstrabimus: ergo dici non potest, Deum respectu, aut intuitu illius gratiam prædestinasse, quod idem est, ac si dicamus, ad illud vsum non respectisse, vt gratiam prædestinaret. Aut tertio est de vso nudu liberi arbitrii, & nullus huiusmodi potuit esse ratio decetia, vt Deus primam gratiam donaret, & prædestinaret: aliqui iam initium aliquod esset ex nobis, qui est Massiliensium error, quem sane nihil omnino modestum, qui asserunt, illud initium tantum esse decetia, & congruitatis cuiusdam, & Deum aliquid non fuisse, vt aliud facere non posset. Neque enim Massilienses obligationem aliquam Deo imponere volebant, aut necessitatem, vt gratiam suam ex aliquo initio nostro tribueret, imo aliquando sine illo donari nonnulli asseriebant, qui solum contendeant ex nobis saltem interdum initium aliquod præcedere, vt superiori disp. & 89. monstrauimus.

Tertio recte dici potest, Deum in prædestinatione suæ gratiæ, & donatione eiusdem scientiam habuisse consensus nostri futuri ex gratia. Cæterum hoc non solum fuit decens, & rationi consentaneum, sed etiam necessarium; quia infinita scientia Dei non potuit non illa omnia futura, etiam sub conditione præscire, vt disp. 67. prædictum est, & cum eius prædestinatio sit gratiæ congrua, & efficacia præparatio, non potuit non Deus eam prædestinando, scire effectum, quem in nobis habitura erat. At propter talem vsum nihil omnino constituit, aut præfiniuit, sed potius, vt talem vsum nos haberemus, ex se ipso præparauit gratiam primam in præscientia, & in tempore donauit: nec enim vocauit nos, quia futuri eramus sancti, sed vt essemus; vi cap. 6. ex Hieron. & Aug. notauimus.

Quarto dici non debet, Deum eos solos ad ultimos ordinare prædestinasse, quos ab æterno præsciuisset diuinæ gratiæ cooperaturos cum perseverantia, quasi quosdam extra communem ordinem prædestinauerit, quos non præsciuisset gratia sua bene videri. Omnes enim prædestinatos, vt diximus, nempe deopto præsciuisset bene cooperaturos suæ gratiæ, licet hæc cooperatio fuerit posterior, & nullo modo causa, nec conditio prædestinationis: nam Deus non potuit non præscire, quod futurum erat. Cæterum quod iidem Doctores addunt, præscientiam hanc cooperationis nostræ

nostra simul ordine rationis esse in prædeterminatione, non solum totius effectus prædeterminationis, usque ad perseverantiam, sed etiam cum primo effectu, nempe cum vocatione, mihi nulla ratione probatur. Vt enim supra disput. 82. ca. 5. notavi, ordo rationis in æternitate inter actus divini intellectus, & voluntates desumi debet ex ordine causæ, & effectus inter obiecta: quis autem neget prius esse ordine causæ aliquem vocari, quam ipsum respondere: erit igitur prior præfinitio vocationis, quam cooperationis: ac proinde quam præfinitia cooperationis. Loquor autem de præfinitia absoluta, non sub conditione; nam præfinitia sub conditione præcedit omnem præfinitioem absolutam, ut manifestum est: & de absoluta præfinitia Doctores citati loquuntur. Contendunt autem multis testimoniis Augustini, Prosperi, & Fulgentij suam sententiam confirmare: quæ, meo iudicio, recte probant, totam prædeterminationem: & complementum illis includere cooperationem nostram, quod hæcenus nullus negavit; hanc autem cooperationem simul fuisse præfinitam cum præfinitioe vocationis, minime probant: ea vero, quod parvi momenti sint, consulto prætermitto.

Postremo quod eo modo conciliare contendunt Græcos, & Latinos Patres, ut sibi non aduersentur, est labor inanis, ut ex dictis in disp. præced. satis liquet: cum reuera, ut diximus, Augustinus semper putaverit suam sententiam, & Græcorum contrarias omnino esse. An vero reprobari, non prædestinari, & non reprobati, sit in potestate nostra; & an inde sequatur etiam, prædestinati in nostra esse libertate, dicemus infra disput. 95. ca. 9.

CAPVT III.

Soluntur argumenta prioris sententiæ.

Alii arguunt.

11.

Am vero ad argumenta prioris sententiæ respondere, difficile non erit. Ad primum ex illo testimonio Petri dicimus, ut testimonium sit aliquis momenti vocem *Certam*, significare debere eo loco firmam, & stabilem: hoc autem modo non solum probat, prædeterminationem esse in nostra potestate, sicut in conditione sine qua non, sed etiam sicut in causâ per se partiali. Vt enim vocatio, qua quis vocatus est, certa fiat, non solum est ipsa conditio, sed etiam causâ; atque adeo ibi sermo non erit de toto effectu prædeterminationis, sed de complemento aliquo illius, scilicet de consensu, & efficacia gratiæ, quod dubium non est pendere ex nostro libero arbitrio, sicut ex causâ partiali; ob id tamen neque prædestinatio est in nostra potestate, cum non sit primus effectus illius, nec illius in nobis est aliqua conditio. Hæc autem expositio contextui magis quadrat: dixerat enim prius Petrus: Cui enim non præstito sunt hæc, scilicet bona opera quæ præmiserat, cæcus est, & manu tentans. Subiungit deinde. Quia propter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: hæc enim facientes, non peccabitis aliquando. Vocem autem Græcæ, quam hic transfert interpretes, Non peccabitis, vertit ad Rom. 11. capite, Offenderunt, ut caderent. Tunc autem sensus huius loci Petri est. Si hæc bona opera præ manibus habeatis, firmis gressibus in via salutis gradiemini, nec tanquam cæci manu tentabitis, nec offenderitis, ut cadatis.

CAPVT III.

595

Est etiam duplex alius sensus eiusdem loci, si nomen illud *Certam*, significet compertam, & notam, iuxta quem sensum testimonium citatum minus habet difficultatis in præfinitioe controverfia. Alter est, quem sequitur S. Th. ut scilicet per bona opera nostra certiores nostræ salutis reddamur, quantum humana coniectura patitur. Alter est Occumenij, & Bedæ, ut per bona opera nostra alios, qui nos intuentur, certos faciamus vocationis, & electionis nostræ sanctæ. Et nomen Græcum *βέβαιον*, utrumque significat, scilicet firmum, seu stabile, & compertum.

Secundum argumentum plus habet fallaciæ, quam difficultatis; nam cum dicitur primam vocationem non esse effectum prædeterminationis, nisi quatenus est efficax, distinguendum est: aut enim dicitur, ea sola ratione effectum esse prædeterminationis, qua efficit in nobis consensum, & hoc falsum est; nam etiam quatenus nostrum præuenit consensum, ad prædeterminationem pertinet, cum adhuc in nostro arbitrio effectum non habeat, aut dicitur, eam solum vocationem sub prædeterminationem cadere, quæ ita nobis contemportatur, ut tandem eliciat consensum; & hoc verum est; sed non ea sola ratione, qua consensum in nobis cooperatur, effectus prædeterminationis dici debet. Nam in ipsâ vocatione, quæ congruit arbitrio, duo sunt: & quod illa detur nobis, nosque præueniat: & hic effectus est primus prædeterminationis: & quod a nobis eliciat consensum; & iam est secundus. Cum ergo primus ille præueniat omnino consensum nostrum, & non sit in nostra potestate, non minus non erit in nostra potestate prædestinari, quam vocari. Etenim si prædestinatio esset in nostra potestate, essent etiam omnes effectus a primo usque ad ultimum.

Ad tertium argumentum respondeo, eum aliquid est in nostra potestate, quod reciprocatur cum alio, illud simpliciter etiam est in nostra potestate, si primam nulla facta suppositione erat: si vero supponatur aliquid, quod nostre libertati non subicit, tunc, etiam si complementum, cum quo illud reciprocatur, sit in nostra potestate, illud aliud, cum quo conuertitur, non erit. Hac ratione si quis posset infundere animam rationalem materiæ primæ, non haberet in sua potestate hominem secundum totum esse simpliciter, nisi & materiam facere posset, & animam: ita etiâ, quamvis sit in potestate nostra, supposita vocatione, quam iam ex ipsâ prædeterminatione supponimus, consentire, & consensus conuertatur cum prædeterminatione, ipsa prædestinatio secundum totum esse simpliciter. hoc est, totus effectus prædeterminationis non est in nostra potestate, quia nullo modo subest nostre libertati vocatio congrua, qua incipit in nobis prædestinatio. Habemus igitur ex dictis in hac, & præced. disp. ex parte nostra nullam esse causam, aut minimum incertum prædeterminationis gratiæ, nullam occasionem, nullamve conditionem, sine qua non: nec eam in nostra esse potestate: quocirca recte dicere possumus cum Apostolo. Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis.

DISPUTATIO XCIII.

Quinam sint effectus prædeterminationis.

Varij effectus prædeterminationis numerantur, cap. 1.

Ddd 4

Neque